

« ditur reproba. *Color optimus est mutatus*, quia « illi sanctitatis habitus, per terrena et abjecta « opera, ad ignominiam despectionis venit. *Dis-* « *persi sunt lapides sanctuarii in capite omnium pla-* « *tearum*; ecce jam pene nulla est sæculi actio « quam non Sacerdotes administrent. *In capite* « *omnium platarum dispersi sunt*, quia et jacent « per ministerium operis, et honorari volunt de « imagine sanctitatis. »

Iugeniosam Origenes, Pharaonis inter Deique veri Sacerdotes instituit distinctionem, illorum quam in Ægypto obtinebant a terreno tributo hæc in verba adducens exemptionem : « Vis scire quid « intersit inter Sacerdotes Dei et sacerdotes Pharao- « nis? Pharaon terras concedit sacerdotibus suis; « Dominus autem Sacerdotibus suis partem non « concedit in terra, sed dicit eis : *Ego sum pars* « *vestra*. Observate ergo qui hæc legistis, omnes « vos Domini Sacerdotes, et videte que sit diffe- « rentia Sacerdotum; ut forte qui partem habent « in terra, et terrenis cultibus ac studiis vacant, « non tam Domini quam Pharaonis esse videan- « tur. »

3. — Theophylactus in hunc textum scribens pulchre observat : « Postquam autem turbam e « navi docuit, dominum navis non reliquit irremu- « neratum, sed benefecit, quia et multitudinem « piscium ei donavit et discipulum suum fecit. » Forsitan misericordia corporalis, aut quasi elemo- « syne loco Dominus hoc concessum navis acceptat obsequium, et ideo duplici remunerat beneficio, ut non edoceret elemosynam quandam sancte et lucrose usure speciem esse.

VERSUS 3.

Et respondens Simon, dixit illi : Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus, in verbo tuo laxabo rete.

1. — Quasi dical, » inquit Albertus Magnus, « congruum quidem ad capiendum tempus per- « transivit. » Lucas Brugensis quoque notat, Petrum non sine causa, noctis mentionem fecisse, quam nihil proorsu capiendo consumperant : « Que ad « capiendum oportunior est quam dies. »

2. — S. Job, vii, 3, dicit : *Habui menses vacuos,* et noctes laboriosas enumeravi mihi. Hugo Cardinalis per hanc noctem, legem Mosaicam interpretatur, ut sensus sit : « Per veterem legem laborantes; « nomine noctis enim lex vetus intelligitur. Unde « habetur, *Genes, 1, 10 : Posuit Deus duo luminaria* « *magna in firmamento cæli, scilicet luminare majus,* « *ut præsetet dies*, id est, Christum, ut præsetet « Evangelio. Mystice ergo dicit Petrus : *Per totam* « *noctem laborantes, nihil cepimus*, id est, ceremo- « nialia inutiliter executi sumus, nihil cepimus, id « est, nihil duximus ad vitam. »

3. — Quamdiu sine ulla Christi directione retia explicarunt, in vanum laborarunt, unde dicunt : *Nihil cepimus*, et tamen strenue laborarunt, *laborantes per totam noctem*. Multi quidem sunt, qui verbum Dei ministrant, sed an dependent a Deo, quia vel ex propria inclinatione, vel ex aliequus lucri motivo, vel propter applausum humanum, absque eo quod vel semel de servitio Deo præstando, vel de lucro animarum acquirendo cogitent; de his vere dici potest : *Per totam noctem laborantes, nihil capiunt*. Venerabilis Beda verba illa Psalmi cxxvi, 1, citat, in quibus dicitur : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam*; dicitque ex hoc textu clare deduci, quam necessum sit ad hoc, ut per hoc adeo sublimè mysterium aliquis nascatur profectus, ut Deus eidem suo favore assistat. Jansenius ait : *Significat eos, qui sine jussu et virtute Domini in docendo populos sudaverunt*.

4. — Didacus Stella ad hoc se reflectit, quod in nocte illa, in qua inaniter laboraverant, Christum secum non habuerint : « Ubi Christus abest, ibi « maximus labor et calamitas est; et advertendum, « hunc laborem inutilem esse et inanem. » Deus olim populo suo per Jeremiam, xvi, 13, comminatus fuit, dicens : *Servietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte*. E contra quando Deus nobiscum est, omnis labor suavis est et tolerabilis, *Matth., xv, 30 : Jugum meum suave est, et onus meum leve; venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*. Et ideo Albertus Magnus locum illum explicans ex libro Sapientie, v, 7 : *Lassati sumus in via iniquitatis*; ita scribit : « Temporalia enim cum labore vix tamen acqui- « runtur, et raro cum timore, et quasi sine fructu « possidentur, cum dolore præter voluntatem quo- « tidie perduntur. »

5. — Venerabilis Beda optime considerat quod, tametsi quis magnis cum sudoribus, laboribus, et summa cum industria verbum Dei prædicet, per hoc tamen parum sit perfecturus, nisi Deus ex sua parte, cor potius quam aures eorum, qui illum auscullant, aperiat : « Nisi Dominus cor illustraverit « auditorem, Doctor in nocte laborat. » De Lydia illa, que sonoram illam Spiritus Sancti tubam, S. Paulum inquam, audiendo, conversa fuit, S. Lucas scribit, *Act. Ap., xvi, 14 : Corus domus aperuit cor, intendere his, que dicebantur a Paulo*; que omnia perfecte cum eo consonant quod S. Ambrosius dicit, dum hanc prædicatorum assignat rationem : « Quia non hoc humane facultati opus, « sed supernæ vocationis est munus. »

Nihil cepimus.

6. — Hi, qui in infidelitatis nocte vivunt et tamen vitam suam in moralium virtutum exercitio, boni- que moribus transigunt, prout tot veteres fecerunt

philosophi, pro salute æterna acquirenda nullum penitus fructum reportant, quia sine fide in Christum, hæc omnia opera moraliter bona, ad æternam vitam lucrum, nihil penitus conducunt : *Sine fide impossibile est placere Deo*; infideles enim de nocte, id est, in ignorantia et infidelitatis tenebris laborant.

7. — Sunt quoque nonnulli, qui per totam præsentis vite noctem laborant, dum continuis tribulationibus, ærumnis, infirmitate et paupertate exercentur et infestantur, et tamen nihil inde fructus aut emolumenti capiunt. Et ratio est, quia non habent patientiam, similes cruce, sibi immissas, a Deo proficisci minime considerant, ac proinde vel in desperationem, vel in saltem gravem quandam rediguntur impatientiam, sortemque a Deo sibi assignatam detestantur, eidemque maledicunt : *Nihil capiunt*.

8. — Quodsi vero hæc verba mundanis hominibus applicare voluerimus, certum esse comperimus, quod per totam noctem laborant, utpote qui se pro honorum temporalium lucro per totam vitam suam decursum fatigant; hæc etenim bona temporalia, vel ad voluptates, vel ad divitias, vel ad honorum fastigia redeuntur, pro quorum consecutione, plurimique sunt homo sudoribus et laboribus conficit, revera tamen nihil omnino capit; et quidem in primis nihil homines de voluptatibus carnalibus capiunt, quia momentanee transeunt; et ideo Tertullianus de nonnullis, quos post transactas voluptates conscientia morderbat, eosdem post decerptas rosas, spinarum puncturas sentire, « postque libidi- « num vaporata momenta, eorum suspirasse, » scribit; imo vero de nonnullis illorum dici non potest : *Nihil capiunt*, quia sepenumero infirmitates piscantur incurabiles, mortalesque inimicitias contrahunt. Quodsi vero de divitiis sermo sit, Psalmista de illis adeo clare loquitur, ut nulla prorsus glossa opus habeat; dicit enim, *Psal. lxxv, 6 : Dormierunt sonarum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis*; idemmet quoque Job, xxvii, 17, affirmat, dum ait : *Dices cum dormierit, nihil secum auferet, aperiet oculos suos, et nihil inveniet*. Similiter is, qui præ cunctis hominibus summa in terris prosperitate usus fuit, in libro Sapientie, vii, 8, protestatur manifeste, dicens : *Divitias nihil esse duci*. Denique si humanas consideremus et examinemus dignitates, de his superbus ille Aman, qui ab Assero, centum viginti septem Provincias sub sceptro suo numerate, ad supremum honorum culmen evehctus fuerat, aperto ore fatetur : *Cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto*. Salomon quoque, qui ab ultimis mundi finibus potentissimas in sui venerationem evocabat reginas, tandem concludit dicens, *Eccle., ii, 11 : Vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere*. Et ideo Justo Lipsio familiaria adeo semper fuisse verba

sequentia, ut illa in sepulchrali lapide incidi jussert, nimirum : « Humana cuncta fumus umbra, « vanitas, et scenæ imago, et verbo ut absolvam, « nihil. »

In verbo autem tuo laxabo rete.

9. — Petrus se in virtute verbi Christi retia sua explicuisse protestatur, cujus proinde prompta obedientia, locupletissima remuneratione honorari meruit. Et ideo Didacus Stella ait : « Discamus a B. « Petro protinus ut aliquid ex parte Domini fuerit « præceptum, illud opere complere, nulla facta « mora; paruit, quamvis contra artem piscandi « præcepit, sique meruit innumeram piscium « multitudinem colligere. » Tota nocte Petrus sine fructu ullo sudaverat, assiduisque laboribus se confecerat; at vero Christo obediens, tempus antea inutiliter consumptum fructuose recuperavit et resarcivit. Nimirum hoc factu Christus ostendere voluit, quod homo sine obedientia frustra labore, siquidem ut plurimum propria voluntas non omni apud Deum merito destituit : « At si obedientie « mandato laboraveris, ingenti retributione dignus « eris. »

10. — Hugo Cardinalis ex Venerabili Beda et Ambrosio dicit, quod « retia sunt verborum com- « plexiones, et dicuntur quasi retinenda; unde « verba Prædicatorum bene dicuntur, retia, quia in « eis, quasi quibusdam laqueis, capiuntur homines « et tenentur. »

11. — Didacus Stella ad idem mysterium, quod scilicet per rete prædicatio Evangelica intelligatur, alludens dicit, quod S. Petrus, dum se in verbo Domini rete suam eiecisse protestatur, simul quoque omnibus Prædicatoribus salutarem moximum tradat : « Ne in Philosophorum argutiis, aut Poetarum « nugis retia prædicationis Evangelicæ laxent, sed « in verbo Christi, quod in sanctis voluminibus « abundat. »

12. — S. Antonius de Padua, *Serm. in Dom. V post Tri.*, dicit : « In verbo Christi laxat rete, qui « nihil sibi, sed totum illi tribuit. » Et merito : *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Idem quoque Didacus Stella expresse monet, dum ait : « Docet etiam prædica- « tores, ut laxent rete prædicationis in verbo Do- « mini, non ad gloriam suam, neque ad questum; « non ad aliquod humanum desiderium, sed ad « salutem eorum, qui capiuntur. »

13. — S. Bonaventura quoque verba illa de prædicatione Evangelica exponit, dicit enim : « Non « immerito, quia ipse dicit : *Verbum meum, quod « egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, « sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his, « ad que misi illud*. *Isa., lvi, 11. »*

14. — Albertus Magnus observat quod, priusquam Petrus se in verbo Domini rete ejecitum

esse diceret, jam de facto Christi prædicatio præcesserit : « Jam cordibus per auditum verbi sui « præparatis; » unde ducit quod frustra labore lingua dicentis : « Quia frustra laborat extra linguam « Doctoris, nisi intus adsit gratia Salvatoris, et ideo « piscis, qui ante sermonem Domini reti Simonis « se subduxerat, modo post verbum Domini, « quasi undique certatim venientes reti se certatim « injecerunt, et hoc notat. cum dicit : *In verbo tuo « lacabo rete.* »

15. — Per totam noctem frustra laboraverant atque sudaverant : *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus;* mox vero dum ad unicum Christum nihil aliud faciunt quam quod retia explicent : *Concluserunt,* etc. Ubi Didacus Stella ait : « Docemur autem, quod Christi potentia et virtute « labor noster, licet parvus, utilissimus, est; omnis « labor noster, ubi Deus nobiscum non operatur « inutilis est; ubi Christus assistit, gloriosus est « fructus. »

Additiones.

a. — *Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* Tota nocte illi isti piscatores jactabant retia in mare, sub spe capturæ piscium; extracta iterum laxabant. Interim vero nihil, per totam noctem laborantes ceperunt, nec unum quidem gobiū; ita ut peritiam operis, naves ad litus reducerent et animum piscandi abjicerent. Hinc enim rursus piscari jussi, aiunt : *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* Sed non ipsi soli sortem illam subeunt, omnes quotquot sequuntur mundum et ejus bona hoc idem experiuntur. Mundus iste mare est tumens et fluctuens, scopulis et piscibus plenum. In hoc plerique hominum, magno suo periculo, vix digito a gehenna distantes, piscantur.

b. — Quam multi cum Petro ingeminare possunt : *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus?* quia non laborarunt in verbo Dei, id est, in charitate, sine qua nullum opus bonum quidquam valet. Hæc autem res etiam minimas pretiosas facit, et sola cælo comparando sufficit. Nullus actus virtuosus aut natura sua meritorius, nullaque fidelium opera quantumvis sublimia et heroica, accepta sunt Deo, aut ab eo respiciuntur, nisi amoris sui characterem consignata fuerint. Cum enim is qui illa operatur gratus et acceptus non sit, multo minus que ab eo exerceatur actio, grata aut accepta erit. Sicut enim homo non tenetur alicujus æstimare ea, quæ ob ejus amorem non fiunt, ita quoque Deus nullam habet in operibus suis complacendi causam, quantumvis illa etiam excellentia sint, v. g. in oratione, abstinentia, vel elemosyna, vel corporali quavis austeritate, quando illa ex Dei amore facta non sunt. Quot fuerint gentiles philosophi qui divitias mundi hujus contempserunt, virtutumque moralium, continentie, mansuetudinis et similibus exercitiis totaliter fuere dediti, et nullum tamen inde

meritum reportarunt, quia illa non eo fine ut Deo placerent, operati fuerant?

Nullus in toto mundo reperiri thesaurus posset adeo magnus et potens, quo lapis ille comparari posset hac virtute præditus, ut omne id quod ab eo tangitur in aurum convertere possit. Imaginemini vero vobis talem lapidem esse margaritam illam, unionem et gemmam illam, quam providus ille mercator Evangelicus sibi comparavit. Hæc est margarita pretiosa charitas. Unicus calix aquæ frigide prout ex fonte vel puteo haustus fuit, proximo egentem ex amore Dei subministratus, meretur et valet ingens quoddam regnum cælorum, quod longe præstantius est auro. Unicum panis mucidi frustulum, ab hæc gemma contactum, dignos nos facit, qui ad æternales celestis convivii delicias admittamur, de quo scribitur, *Luc.*, xiv, 25 : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* E contra vero, si, sine hac gemma, distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. I *Cor.*, xii, 3. Hugo Cardinalis, adducta Glossæ cujusdam auctoritate ait : « Dilige « et fac quodvis. Sive taceas, dilectione tace; sive « clames, dilectione clama; de hac radice non « potest exire nisi bonum. » Quisquis fructuose fabricare intendit, prius de bono fundamento jactando, quod magnum est considerationis, sollicitus est. S. Augustini doctrina est : « Non valde attendas « quid homo faciat, sed quid cum facta inspicat. » Deus non opus, sed intentionem, sed amorem quocumque illud facis, pensitat.

c. — Dicant merito, *nihil cepimus,* omnes cosmophili, qui post exantlatas innumeras curas et ærumnas, nihil capiunt, quandoquidem mundus est purum nihil, secundum hæc Jeremia, iv, 23, verba : *Asperam terram, et ecce vacua erat et nihil.* Ubi Hugo Cardinalis ait : « Terram, id est, temporalia, « quæ revera vacua sunt et nihil. »

d. — Multi certe hoc cum S. Petro, sed in alio sensu ingeminare possunt : *Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus;* maxime vero et verissime idipsum dicere poterunt hypocrite, qui veluti in nocte diabolicæ fraudis laborantes, nihil meriti capiunt, imo etiam sæpe cum periculo damnationis æternæ omnia amittunt. Spiritus veritatis, adhibito in testimonium Jobo magno illo innocentie speculo, spem hypocritarum tandem disperendam esse monere volens, inquit : *Spes hypocritarum peribit;* atque in hujus confirmationem aptas quasdam similitudines subjungit : *Sicut tela aranearum, fiducia ejus; innidetur super domum suam et non stabit.* De hisce vero araneartum telis S. Gregorius hunc in modum discurrit : « Bene hypocritarum « fiducia araneorum telis similis dicitur, quia omne « quod ad obtinendam gratiam exsudant, ventus « vite mortalis dissipat, nam quoniam æterna non « querunt, bona temporalia cum tempore amittunt.

« Araneorum tela studiose textitur; sed subito venti « flatu dissipatur, quia quidquid hypocrisis cum « labore peragit, aura humani favoris tollit. »

Postquam Ezechias rex corporis salutem miraculose recuperasset, nonnulli ad eum Jerosolymam e Babylonia amandati fuere legati; quibus ipse, ostentationis causa, quidquid in thesauris suis reconditum erat, jactabunde ostendit : *Non fui quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, et in omni potestate sua.* IV *Reg.*, xx, 13. At vero quis tandem ostentationis hujus eventus fuit? Nimirum Deus indilate ad eum Isaiam Prophetam misit, qui ei diceret : *Eccc dies venient et auferentur omnia, quæ sunt in domo tua; non remanebit quidquam.* Verum, inquit, quanquam culpa bonus hic rex tam rigidum promeruit supplicium? Numquid mundi hujus principibus passim usitatum est, ut e longinquo adventibus legatis, quicquid in palatio raritatum, deliciarum, rerumque pretiosarum possident, ostentare soleant? Cur igitur Deus adversus hunc regem adeo bene meritum divinique cultus sui zelosum servum suum tam acriter animadvertit? Vix aliud ad hoc responderi potest, quam quod *omnia in figuris contangebant illis.* Hæc namque Ezechias in hac actione representabat illum, qui in spiritualibus operum honorum et gratiarum celestium, comparatorumque meritum thesaurus aliis publice ostentat, solo hoc fine motus ut inde mundi sibi applausum comparet. Talis autem, justo Dei judicio, omnibus hisce bonis spoliari meretur.

e. — Sedulus piscator Petrus et piscandi maxime gnarus, totis noctibus occupatus, nihil capit et inutili labore consumitur. Diuturnus labor sic frustratur optato effectu. Que causa? Peccator erat Petrus, ut ipse fateatur : *Eci a me, Domine, quia homo peccator sum.* Peccata laboris magni causa erant. Hæc quam multi retia sua in mari hujus mundi tendunt et per totam noctem assidue laborantes nihil capiunt! Sic avarus, ut suis lucri desideris satisfaciat, impense totis noctibus inquietatur et laborat. Idem misero ambitioso, qui honores adipisci contendit; idem carnali homini qui voluptates ac delicias captat; idem denique illi, qui illatas injurias ulcisci vult, aliisque hujus generis perditis peccatoribus contingit. Peccatores enim, dum suis appetitibus satisfaciunt, se pariter laborare et fatigari sentiunt.

f. — *In verbo autem tuo lacabo rete.* Petrus in virtute verbi Christi retia sua explicuisse prestat; si enim obedientie mandato laboraveris, ingenti retributione dignus eris. Thomas a Kempis de obedientia ita scribit : « Sive obediens orat, sive « laborat, sive vigilat, sive dormit, sive loquitur « aut tacet, sive stat aut ambulat, sive scribit aut « comedit, omnia ex virtute obedientie, in bonum « et meritum ipsi convertuntur. » S. Bernardinus idipsum sequenti hæc insigni confirmans similitudine inquit : « Sicut qui est in navi, comedendo,

« bibendo, dormiendo et quiescendo progreditur, « quia movetur alieno motu; sic verus obediens in « religione, ad litteram, comedendo, bibendo, dor- « miendo et quiescendo, et alia bona opera ope- « rando, meretur. Hic est panis, qui in obedientia « navi ad æternam vitam portat, quem quotidie a « Domino postulamus. » Ne quis autem obedientie amator, vel ad dexteram vel ad sinistram, per defectum, vel excessum declinet, hæc salutarem accipiat S. Basilii instructionem, in quodam sermone de institutione Monachorum, ita discurrentis : « Vera perfectaque subjectorum adversus modera- « torem ordinis obedientia, in eo cernitur si quis « ex ejus consilio, non a rebus modo flagitiosis « abstineat, sed ne ea quidem, quæ laudabilia sunt « et sine sententia illius faciat. » Quod idem et S. Bonaventura in regulis fratrum Minorum in hæc verba tradit : « Obedientia dicit statum obedientem « hujus virtutis, quando aliquis non tantum obedit « Deo, verum etiam homini propter Deum. Item « Deo obedit, non tantum in necessariis, verum « etiam in omnibus supererogatoris, et divinis « inspirationibus universis. » Tunc autem obedientia adeo ardua sum consequitur meritum, quando eam aliena approbaverit directio, atque concilium.

VERSUS 6.

Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum.

Et cum hoc fecissent.

1. — Verbum hoc *fecissent,* mysterio non vacat; postquam enim S. Jacobus, i, 22, nos monuisset, dicens : *Suscipite insulam verbum,* quasi idipsum non sufficiat, protinus subjungit : *Estate factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos, quia si quis auditur est verbi, et non factor, hæc comparabit viro consideranti vultum nativitatibus suæ in speculo, consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit.* Ideo ergo Petrus et alii, qui cum eo piscabantur, ex auditu Christi verbo proferunt, quia executi fuere quod illis per verbum Christi mandatum fuerat.

Concluserunt piscium multitudinem copiosam.

2. — « Salutaris conclusio, » inquit Albertus Magnus, « ad salutem concludi in reti Apostolico. » *Echl.*, vi, 25 : *Injice pedem tuum in compeles illius; et in torques illius cor tuum.*

3. — Jansenius miraculum istud a sapientissimo Salvatore nostro ideo patratum fuisse existimat, ut per illum in sequelam suam, piscaretur quatuor illos Apostolos, de quibus in Evangelio fit mentio : « Voluit hos animare ad sequendum se pauperem, « ut ne metuerent inopiam, quod relicti omnibus « pauperem sequerentur, quando eum talem esse « cognoscerent, qui suo jussu omnia posset. »

4. — Toletus scribit, quod in hac adeo copiosa piscatione, immensam animarum multitudinem denotare voluerit, quam Evangelicæ prædicationis retibus ab Apostolis in omnibus mundi partibus expulcatis et extensis, piscaturi erant.

5. — Ex hoc facto, quam Salvator noster in compensandis sibi præstitis obsequiis liberalis sit, clare perspicitur, siquidem Petro mutuatæ sibi naviculæ nautum sive mercedem abundanter et copiose solvere voluit; qua in re illos qui sua spe et arrha beneficiæ ipsius ei serviunt, animare et inescare voluit, specialiter autem se liberalissimum exhibet erga illos, qui prædicatione mediante animas errabundas ad ipsum redeunt.

6. — Apostoli per totam noctem laborantes, omnino defatigati erant, adeoque somno summe indigebant; per totam præteritæ noctis decursum, ne vel unicum pisciculum piscati fuerant, et tamen Christus illis, ut in altum mare ubi antea nihil ceperant, renavigarent; idque tempore diurno, quod ad piscationem ineptius est quam nocturno et tamen quia sine ulla contradictione obdixerunt; ecce tibi remuneracionem: *Concluserunt*, etc. Quando ex propria voluntate piscati sunt, nihil ceperant: ita quoque multis aliis accidit, qui sine ullo cum confessorio præhabito consilio, sine ulla directione aut dependentia ab alio, imo et sine vocatione Dei, vitæ austeritates et rigores, aliaque penitentiae opera in statu religioso vel sæculari aggrediuntur. Deoque minime grati existunt, quia spiritus et virtus obedientiæ illis deest: *Quare jejunavimus et non aspeixisti? humilivimus animas nostras et nescisti? Ecce in die jejuniæ vestri inventur voluntas vestra.* Isa., LVIII, 3.

Rumpitur autem rete eorum.

7. — Glossa idipsum de hæresum et errorum scissuris interpretatur, quibus divastatur Ecclesia: « Rumpitur rete præ multitudine piscium, quia modo cum electis tot reprobi intrant, qui ipsam Ecclesiam hæresibus scindunt; rumpitur rete, sed non labitur piscis, quia Dominus suos servat, et etiam inter persequentium scandala. » Eandem sententiam tenet S. Augustinus dum ait: « Significat cat hominum carnalium multitudinem tantam futuram in Ecclesia, ut etiam disruptione pacis, per hæreses et schismata scinderentur. »

8. — Quæri hoc loco haud incongrue potest, cur rete rumpitur hic, non vero in illa piscatione, quæ post resurrectionem facta fuit? *Cum tanti essent, non est scissum rete.* Toletus per adductam S. Gregorii auctoritatem respondet, dicens: « Hic præter Ecclesia, quæ bonos et malos complectitur, illic futura tantum bonorum significatur. »

9. — Lucas Brugensis ne vel unum piscem ex dirupto reti elapsum fuisse existimat, adeo ut hic multiplicata miracula fuerint: « Nec tamen elabe-

rentur pisces; » aliud vero miraculum fuit, quia, « pisces, qui ab hoc longe aberant, imperio Jesu subito adnatarunt et in rete coacti sunt; testimonium manifestum obedientiæ, quam rerum natura Jesu exhiberet. »

10. — Alius quoque hic considerari potest sapientiæ et omnipotentiae divina effectus, dum mediante reti quodam rupto et lacero, quale erat S. Paulus persecutor Ecclesie, S. Augustinus olim pertinacissimus hereticus, Mattheus alias publicanus, Magdalena paulo antea meretrix, tot animas ad fidem et notitiam sui convertit.

Additio.

a. — *Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem, etc.* Qui per totam noctem, absente Domino, nullum piscem prenderunt, eo presente et mandante, brevissimo tempore ingentem piscium multitudinem capiunt. Hæc sunt Dei dona, quæ cumulate et sine mora conferuntur, per quod inmebatur, ex reti, seu ex prædicatione Evangelicæ, ad quam erant mittendi, magnamque mercedem esse percepturos, scilicet tunc cum assistentia Domini gauderent. Unde Albertus Magnus, in *Joa.*, ait: « Jam cordibus per auditum verbi sui præparatis, quia frustra laborat extra lingua Doctoris, nisi intus adsit gratia Salvatoris. Et ideo pisces, qui ante sermonem Domini, reti Simonis se subduxerunt; modo post verbum Domini, quasi utique certatim venientes reti se certatim injeccerunt. » Enimvero quando Deus assistit illi qui prædicat, tunc longe efficacior et copiosior prædicationis fructus exundat.

Observastisne quibus verbis cælestis Agricola prædicationem Evangelicam describat? *Semen, inquit, est verbum Dei.* Porro ad seminandum labore opus est, sudoribus et industria agricolæ; at vero ut semen hoc in terram exultant dispersum, fructum offerat, hæc omnia non sufficiunt, nisi etiam cælum per benignas influentias cooperetur. Eadem proportione de verbo Dei asserere possumus; is namque cui illius ministrandi cura et officium incumbit, necessario antecedenter, per studium, laborem, mentisque applicationem se preparare debet, ut illud cum convenienti dignitate, ut par est, annuntiare possit. At vero totum hoc parum juvabit, nisi divina gratia, et influxus superni tam Prædicatori, quam auditoribus pariter assistant: *Non enim vos estis qui loquimini.* Et quidem, ni fallor, hoc idem Apostolus asserere voluit, quando ait: *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.* Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Et paulo post idipsum confirmat, subjungendo: *Dei sumus adiutores.* A manu namque omnipotentis incarnatæ Sapientiæ velut instrumenta adhibemur: *Dei agricultura estis.*

VERSUS 7.

Et amoverunt sociis, qui erant in alia navi, ut venerent et adjuverent eos, et venerunt et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur.

Et amoverunt sociis, qui erant in alia navi, ut venerent et adjuverent eos.

1. — Toletus duas hujus rei causas affert; prima est, ut multi præsto essent, tanti miraculi oculati testes, ut sic velocius divulgaretur et spargeretur per orbem; alia est propter mysterium, quod inde denotabatur: « Simul ut significaret Apostolos, in piscatione hominum futura, multos etiam habituros comministros. Ecclesie ergo Pastores, cum ipsi per se imposito aut suscepto oneri non sufficiunt, alios, a quibus juvari possint, advocare debent. » Similem quoque ponderationem Didacus Stella habet, dum super hæc verba ita scribit: « Quo facto docemur neminem in Ecclesia sibi sufficere, sed alterum alterius opera et ope indigere, ut sic invicem non adjuvantes humiliter. » Qui idem Auctor simul ad illos se reflectens, quia a Petro in subsidium fuere vocati, hoc inde pro Prælati Ecclesiastici dedit documentum: « Docet etiam Petrus Episcopus aut Prælati Ecclesie, ne vocent in ministerium et opem securas ut ignaros, sed viros theologos et sapientes, similes Jacobo et Joanni. »

2. — Albertus Magnus similiter ex hoc facto, iisdem Prælati valde proficuum elicit doctrinam: « Argumentum est hic, quod cum Prælati per se rete trahere non valet, potest vocare alios, qui non sunt de eadem navi, hoc est, de sua Ecclesia, ut juvent illum, » adducitque Apostoli testimonium pariter et exemplum, ad Galatas, II, 9, ita scribentis: *Dexterus dederunt mihi et Bernabæ societatis, ut venirent per unitatem fidei et adjuverent eos verbo prædicationis, et cura regiminis, et a parte sollicitudinis. »*

3. — S. Bonaventura, *Serm. II in hac Dom.*, in duobus locis ex hoc facto duo documenta dedit. Primum est: « Conversi ad Dominum, socii qui se traxerunt ad culpam, sæpe retrahunt verbo vel exemplo ad penitentiam. » Et super Evangelium Lucæ scribens, hanc habet considerationem: « Quia opera Dei revelare et conlitteri honorificum est, unde dicit Auctor quidam: Nullius boni sine socio jucunda possessio est, » adducitque illam ex Proverbiis, XVII, 19, sententiam: *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.*

Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas.

4. — Hugo Cardinalis ait: « Duæ naves, duæ sunt vitæ, activa et contemplativa; activa intenta prædicationi, petit sororis orationibus adjuvari;

« tunc enim proficit prædicationi, quando Martha prædicat fideliter et Maria orat instanter. »

5. — Albertus Magnus per has duas naves, duo intelligit præcepta charitatis: « Gemine charitatis, » in his duobus mandatis universa lex pendit; » id est, in dilectione Dei et proximi; hæc duæ naves nos per mare hujus sæculi ad fortunatam Paradisi littorâ trajicere posse faciunt; vel etiam dicit idem: per illas intelligi possunt duo modi vivendi, « actionis » scilicet et contemplationis. »

Ut pene mergerentur.

6. — Idem quoque Doctor observat, Evangelistam non dicere illos fuisse de facto submersos, sed in periculo fuisse submerisionis: « Non enim mer-gitur Petri navicula, licet periclitetur aliquando. » Venerabilis Bedæ ex mente S. Pauli, II *Tim.*, II, 2, quando hoc acciderit, declarat: « In novissimis diebus erunt tempora periculosa et erunt homines seipsos amantes; nam mergi naves, est homines in sæculum, ex quo elati per fidem fuerant, et morum pravitate relabi. » Idem quoque Paulus periculum ostendit, in quod illi, qui post habitum veritatis lumen et notitiam relabuntur, communiter incidunt, *Heb.*, X, 26: *Voluntarie peccantibus nobis post notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.*

7. — S. Ambrosius acule observat, quod S. Mattheus Petri naviculam inter undas fluctuasse dicat. S. Lucas vero eandem piscibus repletam fuisse asserit: « Ut et principia Ecclesie fluctuantis et posteriora exuberantis agnoscat; non turbatur ista, quæ Petrum habet; turbatur illa quæ Judam habet; in utraque Petrus, sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Caveamus igitur proditorem, ne per unum plurimi fluctent; mus; illic turbatio, ubi modica fides; hic securitas, ubi perfecta dilectio. »

VERSUS 8.

Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens: Eri a me, quia homo peccator sum.

Procidit ad genua Jesu.

1. — Lucas Brugensis ait: « Intelligens præceptum Jesu admirando modo esse operatum, remeque non agi casu, ut humanis viribus, sed virtute divina, quod nulli perspicere esse potuit, quam ipsi piscatori exercitissimo. »

Procidit ad genua Jesu.

2. — Idem quoque S. Petrum ex hoc miraculo Divinitatem et omnipotentiam Salvatoris collegisse observat, dum ad unicum et solum Christi nulum, adeo ingentem piscium multitudinem ad mortem in retia currere vidit: « Jesu excellentia hic per-

«specta, quod natura ipsa inanimatorum et animantium ipsum veneretur.»

3. — Albertus Magnus ait: «Fuit iste proculibitudo genitio exhibita in signum reverentiae et quod ab ipso esset ad alius promovendus. Mich., vi, 6: Qui dignum offeram Domino? Curvabo genua Deo meo. Matth., xxii, 12: Qui se humiliat, exaltabitur.» Enimvero Christum illi unquam creatura praeterquam S. Petro genua sua flexisse non constat, prius enim ante ipsum et postea ante alios Apostolos, ipsum in ultima cena genuflexum fuisse legitur; insuper quoque disposuit, ut deinceps omnes fideles, ad finem usque saeculorum, ipsi quoque reges et mundi monarchae sese pedibus S. Petri in persona summorum Pontificum, qui successiverit sedem ejus occupant, advolant, seque reverenter coram illis prosternant. Porro sublimis hic honor tot ante saecula a Propheta Evangelico, Isa., xlii, 23, predictus fuit: *Erunt reges nutriti tui, vultu in terram demisso adorabunt te et pulverem pedum tuorum lingent.*

4. — Dionysius Carthusianus ait: «At vero sicut Petrus viso hoc signo, nihil meritis suis adscribit, neque inaniter gloriatus est, sed totum se humiliavit et Christo gratias rependit, ejusque praesentia se fateretur indignum, ita dum Praelatus aut Praedicator multos aut quosdam convertit, totum divina pietati attribuit et gratias agens nullatenus extollatur, imo se indignissimum arbitretur, ut per eum Spiritus Sanctus talia operetur et Domino se prosternat.»

Eri a me, quia homo peccator sum.

5. — Quasi diceret, » ait S. Bonaventura, «non sum talis, ut ego sim dignus esse simul tecum;» ex hoc namque tam prodigioso miraculo Christi percipit omnipotentiam et divinitatem, ideoque illi adeo prope ut assisteret, indignum se reputabat. Dionysius Carthusianus ait: «Et magnitudine miraculosa effectus majestatem cause pensavit; et quia opposita juxta se posita claritas innotescunt, quo Petrus Christi virtutem excelsam lenitatem magis attendit, eo propriam culpam ac pravitatem evidenter intellexit, atque humiliter fassus est.» Didacus Stella Petrum eum Gerasensis comparans, dicit: «Indignum seipsum Petrus judicavit Christi praesentia, non sic Geraseni;» hi Salvatorem nostrum a se repellebant, eo, quod damna viderent, quae ex ejus praesentia in animalibus suis recipiebant: «Rogaverunt, ut discederet, propter porcos, quos amiserant; cognovit Petrus Christum et ideo divino lumine illustratus seipsum agnoscit et humiliat.»

6. — Lucas Brugensis verum horum verborum sensum investigans, in persona Petri ita scribit: «Meum agnosce villitatem, dum tua se mihi manifestat celsitudo. Quamvis Dei praesentiam assiduis

votis expectant homines quod eo absente miseros se esse sentire cogantur, necesse est lamem, simul atque apparet Deus, eos formidine percelli, imo exanimari metu ac pavore, donec solatium adhibeat, quia tunc sentire incipiunt, quam nihil sint, quam viles et peccati a Deo alieni, ac metuere proinde, ne ipsius sanctitatis praesens consuetudine matritatem ipsorum;» sicut enim quanto lumen majus est, tanto colores magis apparent, ita quoque quanto majorem de Deo, ipsiusque sanctitate et puritate notitiam habemus, tanto magis defectus nostri, imo quilibet minimus imperfectionis naves sese conspicuum omnibus exhibet. Unde Cajetanus ait: «Conferens peccata sua cum sanctitate, quam conspicebat in Jesu, timet sibi a pro-pinquitate tam sancti viri; sacrilegium existimat bat proximitatem suam, ad virum tam sanctum.»

7. — Vidua illa Sareptana, cui eminentissima Eliae virtus perspicua erat, filium suum, post hospitium Sancto huic exhibitum, ad mortem usque infirmari videns, ad eum dixit, III Reg., xvii, 18: *Quid mihi et tibi vir Dei? Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meae et interficeres filium meum?* Petrus itaque considerans, quod Christi divinitas, quaedam suae imperfectionis exprobratio esset, naviculae suae submersionem timebat, eo quod ipse peccator existens, Sanctum Sanctorum in eandem recepisset. Toletus ait: «Se peccatorem agnoscens, imminens submersionis periculum, quasi penam proprii reatus arbitratus est, quia indignus peccator dignissimum suscipiebat videretur.»

8. — Advertendum quoque, quod quanto magis anima aliqua circa majestatem et excellentiam Dei illustrata fuerit, tanto quoque majorem in semetipsa conceptura sit erga eundem Deum timorem reverentialem. Et ideo in Prefatione Missae dicitur: *Quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates.* Angeli etenim, qui inter caeteros Angelos minus lumen habent et ideo de illis solum dicitur, quod divinam majestatem laudent; at vero Dominationes, quae supremo Divinitatis throno vicinias appropinquant, eandem adorant et coram illa se cernuas prosternunt; Potestates denique quae in sublimissimo sunt ordine coram Deo tremere dicuntur.

9. — S. Antonius de Padua super haec verba dicit, quod «in hoc duo notantur, timor de peccatis: *Eri a me, quia homo peccator sum;* spes de misericordia: *Ad genua Jesu prociديو.*» Enimvero dici communiter solet quod saepe propter peccatorem quendam enormem naves petire soleant; at vero S. Petrus securus esse poterat, suam nequaquam submergendam fuisse, siquidem eum intra se continebat, qui *tolit peccata mundi,* quique ipsi omnia peccata remittendi et iis absolvendi potestatem dederat: «Ideo autem hoc dicebat Petrus,»

inquit S. Bonaventura, in Luc., «quia videbat potentiam et non percipiebat clementiam, quia dixit: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Unde Augustinus ait: Ut piscator loquitur Petrus. Deum, ac Dominum salutis secum habebat et dicebat: *Eri a me,* ac si infirmus medico curare volenti, diceret: *Recede a me, quia aegroto.* Idem quoque Seraphicus Doctor auctoritatem citat S. Gregorii, qui laudabili quadam et sancta reprehensione S. Petrum his verbis aggreditur: «Imo si te peccatorem consideras, oportet ut a te Dominum non repellas; mox vero in ipsius excusationem prosequitur, dicens; sed certe sic humiliando non expellebat, sed attrahebat: *Ad quem respiciam, nisi ad propterculum, et contritum spiritu, et tremementem sermones meos?* Isa., lxxvi, 2.» Quoniam praecipue tempore Virgo sanctissima Verbum aeternum concepit, atque e Patris sinu in virginalem uterum suum attraxit? Nimirum, quando semetipsum in nihilum suum vel maxime protraheret et intra se dixit: *Ecce Ancilla Domini,* tunc inquam proprium illum concipiendi tempus adfuit: *Fiat mihi secundum verbum tuum;* et ideo tritissima sunt illa S. Bernardi verba: *Humilitate concepit.* Opportune quoque hic Publicanus ille occurrit, qui peccatis onustus, in quodam recondito templi angulo constitutus et humiliatus, oculos suos quamvis lacrymis madentes in coelum attollere non presumpsit, de quo S. Bernardus proinde praeclearam hanc profert sententiam: «Vim faciebat Publicanus ille regno caelorum, qui cum non auderet oculos ad caelum levare, ipsum caelum ad se potuit inclinare.» S. Petrus Christo propter peccata sua et quam de se presumebat indignitatem suam, appropinquare non audebat, Christus autem illum suum in terris Vicarium constituit, eique caelorum claves consignavit, hoc enim indicant verba illa, ut mox dicemus: *Et hoc jam eris homines cspiens.*

10. — Dionysius Carthusianus ait: «Christum a se exire rogavit, non eum indignanter repellens, sed ex profundissima humilitate honorans, nec tamen spiritualem ejus praesentiam seu gratiam opem a se abesse optavit.» Centurio miracula quidem Salvatoris experiri desiderabat, ab illis tamen postulandis retrahebatur, eo quod se illis experimendis indignum agnosceret et ideo quamvis gratiarum suarum avidus et ambitiosus esset, illum tamen ne domum suam ingrederetur, rogabat: «Hoc ex fide» inquit S. Bonaventura, *Serm. lxxv in diversis,* «et reverentia dicebat, sicut ille Centurio: *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum.*» S. Augustinus similiter dicit: «Sic Centurio interior praesentem corde tenebat, cujus a suo tecto praesentiam honorifice revocabat.»

11. — Ingeniosa pariter et pia est illa Didaci Stellae meditatio, dicens: «Aspectus regum terrae et eorum praesentia homines reddit super-

«bos; at Dei visus et intuitus humiles.» Abraham, postquam Deus illum divino conspectu suo dignatus fuit, eumque quam maxime exaltavit et honoravit, protinus dixit, *Gen., xvii, 27: Loquar ad Deum meum, cum sim pulvis et cinis.* Stella et planetae quantumvis splendidissimi, quanto propius soli appropinquant, tanto majus patiuntur lucis et claritatis deliquium. Unde S. Gregorius ait: «Sancti quanto magis Divinitatis interna conspiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt,» adducitque praefati magni Patriarchae exemplum, dicens: «Nunquam quippe legitur, quod Abraham pulverem et cinerem se professus est, nisi cum Dei habere meruerit colloquationem, ait enim: *Loquar ad Deum meum, cum sim pulvis et cinis.*»

12. — Petrus ait: *Eri a me, Domine, quia homo peccator sum,* «et propterea factus est Ecclesiae fundamentum,» inquit D. Chrysostomus, *Hom. vi in Matth.;* «nihil enim sic est amicum Deo, quam si quis se minimis annueret.» Ad hoc ut aedificium aliquod altius et sublimius erigi possit, necessum est ut fundamentum ejus profundius jaciatur et ideo merito supremus hic Architectus Petrum, praecunctis aliis Apostolis pro Ecclesiae suae fundamento elegit, eo quod illum magis quam alios in profundissima humilitate stabilitum esse novit. S. Ambrosius ait: «Admirabatur Petrus dona divina et quo plus metuerat, magis premebat.» Verum inquires fortassis quomodo per hunc sanctum timorem, majorem concipere potuisset fiduciam et audaciam? Nimirum quia Sapientis, *Prov., xviii, 14,* sententia est: *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Et ideo S. Bernardi, *Serm. vi in Cant.,* consilium fuit, dicens: «Anima secum referat impressa divina vestigia: ipsa sunt timor et spes; ille iudicii, illa misericordiae representans imaginem; merito bene placitum est Domino super timentes eum et in eis qui sperant super misericordiam ejus. *Psal. xxxiii, 18.*» Nazianzenus ad id pariter persuadendum, valde aptam quandam adducit similitudinem, *Orat. xi in Bapt.,* dicens: «Dum secundo vento navigas, naufragium time et tutior a naufragio eris, adjutorium ac socium tibi timorem adsciscens.»

13. — Jansenius ad hoc se reflectit, quod tametsi navis in qua Petrus piscatus fuerat sicut et retia pariter ejusdem Petri propria fuerint, ipse quoque retia in mare eiecit, ac demum piscibus plenum sibi attraxisset, omniaque fecisset, quae ad piscationem illam necessaria erant, nihilominus tamen ne vel unius pisciculi capturam suis attribuerit laboribus, aut assiduitati, aut industriae, sed omnem piscationis illius abundantiam et copiosam soli Christo adscripsit, imo se peccatorem et tanto beneficio indignum confessus fuerit: «Quo sane suo facto docuit, quid Apostolico Doctori sit faciendum, si quando feliciter succedunt opera

« prædicationis; tametsi enim ea peragatur hu-
 « mane vocis et industrie ministerio, tamen summa
 « laudis totius uni Christo tribuenda est, cujus aus-
 « picibus solvitur ad dicendum lingua, cujus spiritus
 « afflat dicentis pectus, cujusque occulta vis attra-
 « hit animos auditorum. » Lyranus in moralitate
 hujus historie scribit quod per Petrum, qui una
 cum sodalibus suis tota nocte infructuose laborave-
 rat, ad Christi vero præceptum ad piscationem re-
 diens, ingentem illam capturam piscium, in rete
 sum ire coegit; et tamen in se nihil nisi culpam et
 peccatum agnovit, dicens : *Ezi a me, Domine, quia*
homo peccator sum, Prædicator quidam Evangelicus
prænotatus fuerat : « Qui propria innitens virtuti
« nihil proficit, sed innitens divine virtuti, facit
« magnum profectum, et tunc a Domino confortat-
« tur dicente : Noli timere, ex hoc jam eris homines
« capiens. »

14. — S. Ambrosius in alio quodam loco, lib III
de Virg., sensum verborum illorum hoc modo ex-
 ponit : « Vir sapiens et gravis, in quo esset Ecclesie
 « fundamentum et magisterium disciplinæ, nihil
 « utilius esse prospexit, quam ne secundantis ope-
 « ris extolleretur eventus. Et ideo : *Ezi, inquit, a*
« me, Domine; non rogat ut deseratur, sed ne inlle-
« tur. »

Additiones.

a. — *Quod cum videret, procidit ad genua Jesu,*
 etc. Ad pedes Domini provolutus Petrus, ut Magda-
 lena, Dominica amplectatur vestigia, osculatur et
 stringit. Anne cordialiter a Christo separari exam-
 bit? Ad rem Carthusianus scribit : « Ex magnitudine
 « miraculosi effectus, majestatem causæ pensavit et
 « quanto Petrus Christi virtutem, excellentiamque
 « magis attendit, eo propriam culpam et parvita-
 « tem evidentius intellexit, atque humiliter fessus
 « est. » Cum multi essent in navicula, solus Petrus
 timet et procombuit ad genua Jesu. In ipso enim
 erat plenior cognitio fidei et supernaturalium mys-
 teriorum, et ex Dei cognitione timor ejus crevit.
 Qui enim majori præditus est spiritu, plus timoris
 habere nec secessus vivere debet.

At si provolutus et prostratus ante pedes Domini,
 amplectabatur et stringebat pedes, cur ab ipso
 Domino petiit separari? Audiamus S. Ambrosium :
 « Admirabatur Petrus dona divina et quo plus
 « metuerat, præsumebat magis. » Hæc ultima
 verba novam suscitant difficultatem. Etenim timor
 non est causa confidentiæ. Audiamus nihilominus
 D. Bernardum : « Anima secum referat impressa
 « divina vestigia; ipsa sunt timor et spes; ista
 « misericordiæ representant imaginem : merito
 « beneplacitum est Domino super timentes eum, et in
 « eis qui sperant super misericordiam ejus. » Quia S.
 Petrus prope cognoverat divinitatem Christi, timo-
 rem concepit, ac propterea dixit : *Ezi a me, quia*
homo peccator sum. At cum simul inspiceret divinam

ejus bonitatem et in ea confideret, *procidit ad*
genua Jesu. Unde extat doctrina Gregori Magni :
 « Sancti quanto magis divinitatis interna conspi-
 « ciant, tanto magis se nihil esse cognoscunt. »

b. — Pugnans itaque in pectore Petri timor et
 amor; timor, ex propria fragilitate proveniens, ita
 suadebat ut Domini rogare discessum et absentiam,
 aut etiam ipse recederet; at vero amor eum
 impellebat ut Christi consortium quæreretur et ut
 fidelis sequeretur Achates. Quid amori cum timore?
 Charitas quæ foras militi timorem, rivalem, præter
 solitum in Petro admittit? Ita est. Filialis enim
 timor cum amore Dei sese quam optime compati-
 titur. « Videtis igitur, » ait D. Zeno Veron., *Ser. x,*
 « hunc timorem necessarium, qui in Dei amore
 « consistit, qui in voluntate sua se parat divini
 « legi construi decorem, ad omnia genera virtutum
 « intrepidus cogit, præceptis omnibus fideliter
 « obtemperat, inchoatus innocenter vivit, justitiam
 « percolit, sine fine studet timere ne quid præter
 « Deum, quem diligit, timeat. » Hic est timor qui
 hominem preparat ad omnem virtutem et omnia
 bona.

c. — Ingens plane stupor, quo Petrus beneficium
 Christum a se repellit; magna interim Christi
 benignitas, qui repulsus non recedit, sed adhuc se
 comitem præbendo, ad littus deducit; quid hisce
 verbis S. Augustinus, lib. II *q. q. Evang.*, II, prose-
 quitur : « *Ezi a me, Domine, quia homo peccator*
« sum, quod tamen non fecit Dominus; non enim
« recessit ab eis, sed eos subductis navibus ad
« littus perduxit. » Et quod miror magis, ille ipse
 Petrus qui Jesum a se abire jussit, quasi præsentie
 Domini impatiens, præ stupore et timore, non
 tantum illum passus est deducere, sed ipsummet
 Jesum, quem nunc a se exire rogabat, relictis
 omnibus, perpetuus inde comes subsequitur et ut
 talis a Christo recipitur, Apostolici collegii caput
 constitutus. Hic Petri stupor et timor arcanum
 virtutum sacramentum, dum Petrum ex peccatore
 in Apostolum transformat. Timor enim Dei nostræ
 cooperatur conversioni, ut peccata commissa expel-
 lat et a futuris præservet. Bene igitur orabat ille,
Psal. xviii : Confige timore tuo carnes meas, a judicis
tuis tui, super quo S. Augustinus : « Quid est :
« Confige timore tuo? Timui enim a judicis tuis. Si
« enim timeatur, vel timebat, cur adhuc, ut timore
« suo Deus confingeret carnes suas orabat? An addi
« sibi volebat timorem, ut tantum timeret, quan-
« tum sufficeret crucifigendis carnibus, id est, con-
« cupiscentiis, affectibus carnalibus? » Timet qui-
 dem, sed timore humano, qui carnales affectus et
 concupiscentias interim dissimulat, non omnino
 cohibet et crucifigit, interstringit concupiscentiam,
 non extinguit, et hic improbatur. Talis timor non
 erat in Petro, ideoque Christum indilate sequitur.

VERSUS 9.

Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum
illo erant, in capturam piscium quam ceperant.

1. — Glossa ait : « Excensat Petrum, non studio
 « malitiæ sed ex humano defecto hoc dixisse. »

2. — Jansenius hunc stuporem nunc præcessisse
 existimat, veluti typum et figuram admirationis il-
 lius, quæ mundus ob felices prædicationis Evange-
 licæ et conversionis gentium progressus, replendus
 et in stuporem adigendus erat : « Quis enim non
 « obstupesceret, considerans, prædicatione pauco-
 « rum, humilium, idiotarum hominum, tot millibus
 « hominum ex universo orbis nationibus intra pau-
 « eos anno fuisse persuasum, ut contemptis affecti-
 « bus cognatorum, contempto dispendio rei fami-
 « liaris, spreto ritu paterno, contemptis nimis
 « principum, supplicis, ac morte ipsa, simplicem
 « Christi doctrinam sequerentur, credentes ea quæ
 « humanis rationibus probari non possunt, speran-
 « tes ea quæ juxta nature vires plenæ sunt despe-
 « randa? » Enimvero quidquid ad hanc adeo copiosam
 piscationem, quæ totius mundi conversioni
 præludebat, concurrir, magnam secum ferebat
 admirationem atque stuporem. Etenim populi, qui
 bus prædicabatur, per tot sæcula in falsorum Deo-
 rum suorum cultu nati, nutriti, et habituati, et
 carnalibus voluptatibus, bonisque et affectibus ter-
 renis plane dediti erant; ille vero populus, qui solus
 inter omnes totius terræ nationes, veri Dei fide et
 lumine illustratus erat, populus videlicet Hebræus,
 vitiosissimus erat, jamque veri Dei Filium inter
 ipsos et ex ipsis incarnatum inter duos latrones,
 veluti latronem et sicarium crucifixerat. Prædicato-
 res, si attendamus, hi piscatores, lacerti, nudi, illite-
 rati, omnique Principum aut Magnatum favore
 destituti erant, imo ab ipsis probris afficiebantur
 et vituperis. Si doctrinam quam annuntiabant con-
 sideremus, difficilis nimium hæc erat, quam ut ab
 intellectu, quantumvis perspicaci, apprehendi pos-
 set; quid enim difficilior persuaderi poterat, quam
 Trinitas personarum et essentia unitas, Verbi æterni
 ex virgine quadam facta incarnatio, Sacramentum
 Eucharisticum, et Christi Domini in eadem vera et
 reali presentia, resurrectio corporum mortuorum,
 et finale judicium; longaque difficiliora erant, quæ
 voluntati proponebant, insinuando eadem, vitæ ri-
 gores et austeritates corporales, honorum, divitiarum
 et voluptatum contemptus, præcipiendo denique
 castitatem, humilitatem et obedientiam. Præter-
 quam quod is, quem verum Deum et Dei Filium
 esse prædicabat, homo quidam infami crucis ligno
 affixus, *Judæis scandalum, gentibus autem stultitia*
 et inæta factus erat. Merito igitur D. Chrysostomus
 duodecim illorum piscatorum victorias considerans,
 exclamavit, *Hoc. lxxvi in Matth.*, dicens : « O rem
 « novam atque inauditam in natura! Judæorum in-

« mura millia Romani tunc vicerunt, atque cepe-
 « runt, et a duodecim viris nudis atque inermibus
 « superati sunt. Quæ oratio exponere poterit, tanti
 « miraculi magnitudinem? » His adde aliud non mi-
 nus grande et obstupescendum prodigium, videlicet
 quod, tametsi duodecim illis piscatoribus omnium
 virium conatu se non solum Reges et potentissimi
 hujus mundi Monarchæ, verum etiam omnes idolo-
 rum sacrificuli, philosophi, oratores, omnesque alii
 totius terræ sapientes opposuerint, nihilominus quod
 summe obstupescendum est, inermes illi piscatores
 brevissimo in tempore *concluserunt piscium multitu-*
dinem copiosam, siquidem ut in eadem Homilia
 Chrysostomus ait : « Quæ res maximum argumen-
 « tum omnipotentia Christi est, viginti enim annis,
 « aut ad summum triginta ad omnes oras orbis,
 « Evangelium transeunt. »

3. — Lucas Brugenensis ex his Evangelicæ verbis,
 qualis et quantus Petri timor fuerit, his verbis ded-
 ucit : « Fuit metus religiosus is, quo correptus est
 « Petrus, pertinens ad pietatem, non ambisiliis eo-
 « rum, qui cæcipienti et obtusa oculorum acie om-
 « sint, solem perfectissime lucidum, et splendescen-
 « tem formidant, agnoscentes sese impares tanta
 « virtuti spectandæ. »

VERSUS 10.

Similiter autem Jacobum et Joannem filios Zebedæi,
qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem
Jesum : Noli timere, ex hoc jam eris homines
capiens.

Noli timere.

1. — « Non excludit, » inquit S. Bonaventura,
Ser. ii in hac Dom., « timorem reverentiæ et humi-
 « litatis, sed pusillanimitatis. »
2. — Venerabilis Beda ait : « Confortat Dominus
 « timorem carnalium, animosque fragilium conso-
 « lando erigit, ne quis vel de suæ conscientia culpa
 « tremens, vel de aliorum innocentia stupens,
 « sanctitatis iter formidet aggredi. »

Ex hoc jam eris homines capiens.

3. — Lucas Brugenensis ait : « Quod certe præ-
 « stitit triennio post, quando uno primoque jactu
 « Evangelicæ retis, die Pentecostes piscatus est tria
 « hominum millia. » Doctor Seraphicus verba con-
 siderans, sermonem tertium, quem in hanc Domi-
 nicam scripsit, his verbis orditur : « Utinam ego
 « miser peccator hodie unum pisciculum, unum
 « hominem Domino meo Jesu Christo capere pos-
 « sem. »

4. — Lyranus qualiter hæc piscatio intelligenda
 sit, his verbis declarat : « Per sanam doctrinam tra-
 « hendo ad vitam beatam; verbum enim Dei hamo
 « piscatoris comparatur, quia sicut hamus non capit
 « piscem, nisi ab ipso capiatur, sic nec verbum Dei

« capit hominem ad vitam æternam, nisi ipsum »
« verbum mento ipsis capiat. »

5. — Quæri hoc loco non incongrue poterit, cur Deus Evangelii sui primos Prædicatores, arte et professione sua piscatores esse voluerit? quod si dicas, id factum esse, ut ejus omnipotentia tanto magis per eos elucesceret, dum scilicet imperatores et mundi monarchas per piscatores ad se attrahebat, responderi mox potest, idem quoque seculum fuisse, si Evangelium suum per rusticos aut agricolas annuntiarî disposuisset. Pro responsione S. Ambrosius notat, quod natura nullum habeat animal ferocius pisce, siquidem omnia alia animalia, quantumvis fera illa sint et truculenta, arte tamen humana circuntur et mansuefiunt, solum piscis homini nunquam redditur familiaris. Inter se mutuo unus devorat alterum. Ecce tibi igitur in piscibus prenatos barbaro est paganos, qui falsa simulacra adorabant; hi enim intractabiles, feroces et crudeles erant, et tamen Deus illos, per horum piscatorum apostolicorum retia, efficitur ad se trahere novit.

6. — Observat Toletus, quod locutio *capiens* in Græco idem significet, quod *vivacipio*. Jansenius idem quoque esse dicit, quod *vivum capere*: « Recte » intelligitur significari, Petrum capturum homines, non quomodo hostis in bello hostes suos capere « studet, quos autem mortuos capit capere, aut ad » mortem et servitutem, sed quomodo aliqui redi- » mere studens captivos de manu hostium, qui ce- » perunt eos. » S. Justinus legit: *Ad vitam capiens*, unde S. Petrus de Verbo Dei loquens, illud verbum vite æternæ appellavit, *Jou.*, vi, 69: *Verbo vite æternæ habes*, aut vero si locutio *hominem capiens* insinuaré vellet, quod illos capturus sit ad mortem, id intelligendum est de morte quoad vitia, culpam, aut quoad vitam antea licentiosam et dissolutam.

7. — S. Antonius Paduanus, *Serm. in Dom. III post Trin.*, notat, quod Salvator illa verba in singulari numero soli Petro dixerit: « Hoc specialiter ad » ipsum Petrum pertinet, quasi diceret: Ex hoc » quia fuisti humilis, vite tuæ maculas erubescens, » confessionem verecundia non reprimens, sed de- » lecto vultu remedium querens, eris homines ca- » piens. » Multi quidem et alii mediante prædicatione et confessione sacramentali animas ad vitam æternam piscaturi erant, sed dependenter a Petro: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur.*

8. — Hugo Cardinalis notat Christum dixisse: *Eris homines capiens*. « Non aurum, non argentum, » non præbendas, non laudes hominum. » *II Cor.*, xii, 14: *Non quero quæ vestra sunt, sed vos*; citatque Venerabilem Bedam dicentem: « Nondum in Apo- » stolum eligitur, sed prædicatur, quod aliquando » sit eligendus. »

Additiones.

a. — *Noli timere; ex hoc jam homines eris capiens.*

Benignissimus Deus, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia est, ingenio horum piscatorum se accommodans, ad altissimum prædicationis fastigium vocat, et sua inclinatione trahit, condescendens hominibus, ut ait D. Chrysostomus. Et sicut Magos per sidus vocavit, sic et piscatores per piscatoriam artem. Quia ergo assuetus es piscationi, o Petre, ne tibi grave sit novam artem ediscere, piscabere quidem adhuc, sed pro piscibus homines capies; qua methodo Prædicatores informat non scientiæ suæ profunditatem jactare, sed suis sese auditoribus congruenter accommodare.

Tametsi S. Paulus in Paradisum evehctus *audiverit arcana verba*, ibidemque expeditum in ærarium illud habuerit aditum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei; denique licet superhumanam quadam et infusa locupletatus fuerit sapientia, nihilominus protestatur dicens, *I Cor.*, ii, 1: *Cum venissem ad vos, fratres, veni non in subtilitate sermonis, aut sapientiæ, ammantibus vobis testimonium Christi.* Licet inquam de ineffabilibus et altissimis increata Sapientiæ mysteriis edoctus de celo descendidit, quia tamen sciebat se in hac terra prædicaturum esse, eorum quos instructurus et catechizaturus erat, ignorantia et incapacitati accommodare se voluit. Et ideo merito ipsi gloriosus hic titulus adscribitur, quo *dux verbi* appellatur, et Ecclesia mundi conversionem ipsi potissimum adscribit, idque ex ea præcipue ratione, quia auditorum capacitati accommodare se novit, ipsomet dicente: *Factus sum infirmus infirmis, ut infirmis lucrifecerem. Omnibus omnia factus, ut omnes fuero salvos.* *II Cor.*, ix, 22. Et alio in loco dicit: *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis.*

b. — In textu Græco hoc verbum capiens singularem energiam habet, significat enim *vivos capiens*. Et ita legit S. Justinus Martyr: *Eris homines ad vitam capiens*. Non dubium qui alios in vitam capit, et sibi vitam acquisivisse; at quo medio? Timore. Timuit Petrus et timuit Christum Deum, et inde audit: *Et te et alios in vitam capies*. Salubris itaque illi Dei timor, qui origo et initium salutis æternæ est. D. Chrysostomus, *Hom. LV in Gen.*, considerando super quas animas Spiritus Sanctus diffundat gratiarum suarum dona hunc instituit discursum: « *Super quem utrum respiciam quam super mansuetum, et quietum, et timentem sermones meos?* » Vidisti quomodo nos docuit omnes colores quibus anime pulchritudo potest decorari? *Super mansuetum, inquit, et quietum, et humilem.* Deinde quod hæc omnia efficit addidit, *timentem sermones meos*. Quid est, *timentem sermones meos*? Obedientiam operibus implementem, quod et alibi dicit: *Beatus qui timet omnia propter pietatem*. Nam si nos qui videmus famulam, qui man-

« data nostra cum diligentia timoreque curat, » majorem erga eum declaramus benevolentiam: « multo magis bonus Dominus propter hoc dice- » bat: *Super illum respiciam, qui timent sermones » meos.* »

VERSUS 11.

Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

1. — Theophylactus ait: « Admiremini Domini » dispensationem, quomodo per propria et familia- » ria sua quemque attrahit, sicut Magos per stellam, » ita et piscatores per pisces. »

2. — Dionysius Carthusianus hosce Apostolos trina vice ad Christi sequelam vocatos fuisse dicit: « Triplex fuit Apostolorum istorum vocatio; una et » prima ad solam Christi familiaritatem; tertia ad » Apostolatium. »

3. — S. Bonaventura, *Serm. IV*, ad illa verba, *relictis omnibus*, se reflectens dicit: « Christi doctrina » ab altitudine paupertatis sumpsit exordium, et » Evangelicæ perfectionis primum fundamentum » securitate paupertatis firmiter collocatur. »

4. — Chrysostomus fidem et obedientiam horum discipulorum admiratur, dum ait: « Habentes enim » opus præ manibus appetibilis piscationis, cum » audissent mandantem, non distulerunt, sed relin- » tis omnibus, sequebantur; talem enim obedi- » tiam requirit a nobis Christus, ut eam non præ- » termittamus, etiãmsi aliquid valde necessarium » urgeat. »

5. — Dionysius Carthusianus ait: « *Relictis » omnibus*, quæ ibi habebant, videlicet navibus et » navium instrumentis, captisque piscibus; vel » *relictis omnibus* hominibus, qui ibi tunc ade- » rant; » qua in re utilissimum illis dederunt documentum, qui se Deo volunt consecrare; si enim id vere et stabiliter facere intendant, non solum illis mala vita præterita deserenda est, verum etiam omnes illam denno repelendi occasiones et relinquenda sunt prava consortia, ludi, conversationes, submovendi sunt omnes libri profani, omnes litteræ amatorie, munuscula aut effigies amasarum et quidquid suscitare in nobis potest peccatorum præ-

teritorum reminiscantiam. Circa illa verba: *Relictis omnibus*, S. Thomas, *Serm. II in hac Dom.*, ita scribit: « Duo sunt nobis necessaria ad sequendum: » « Primo, ut a bono commutabiliter avertatur, ipsum » « despiciendo. Secundo, ut ad bonum incommuta- » « bile convertatur, ipsum diligendo et imitando. » « Quatuor debemus relinquere: mundana con- » « temnendo; consanguineos propter Deum relin- » « quendo; corpus mortificando; voluntatem pro- » « priam abnegando. In quatuor oportet imitari » « Christum: in humilitate: *Discite a me quia mitis » « sum et humilis corde*; in pietate: *Estote misericor- » « des, sicut et Pater vester misericors est*; in chari- » « late: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invi- » « cem*; in tribulationum asperitate. *I Pet.*, ii, 21: » « *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens » « exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* »

Additio.

a. — *Relictis omnibus secuti sunt eum*. Qui sola reliquerunt retia eaque lacera, non retia, sed omnia reliquisse dicuntur, quia non possessionis aut desertionis, sed affectus habetur ratio. Solo enim divitiarum desiderio et cupiditate, non vero earum possessione vitiosi efficiuntur. Propheta Regius qui post lapsum immaculatam vitam duxit, licet ex thesauris, quos pro ædificando templo congregaverat simul esset opulentissimus et potentissimus, hæc nobis sententiam relinquit, *Psal.* lxi, 11: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*, ut ostenderit quod ii quibus Deus in hac vita magnam in bonis fortunæ abundantiam donavit, divites simul et Deo accepti esse possint, cum hæc tamen conditione: *Nolite cor apponere*. Ubi Laurentius Justinianus ait: « Non dixit: Nolite habere, sed: *Nolite cor » « apponere*. Non damnat divitias, unde celum » « homo meretur, sed ut cor non apponatur. » Unde S. Thomas Aquinas avaritiam hæc terminis definivit: « Avaritia quasi aeris aviditas, definitur » « esse immoderatus amor habendi. » Non enim divitiarum possessio condemnatur, sed immoderatus in earum acquisitione et conservatione affectus et cupiditas.

DOMINICA QUINTA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. V, VERS. 20

20. Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum celorum.

21. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio.

22. Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem